DE PURGANTIUM IN MORBIS ACUTIS USU.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXVI. M. JANUARII A. MDCCCXXXIX

H. L. Q. S.

PALAM DEFENSURUS EST

AUCTOR

Guilelmus Genzmer,

MARIAEINSULANUS.

Opponentibus:

H. G. MEYER, med. et chirg. Dr.

H. DIESTEL, med. et chirg. Dr.

H. GENZMER, med. Stud.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, CELEBERRIMO, EXPERIENTISSIMO

F. L. TRUESTEDT,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORE P. E. IN UNIVERSITATE LITERARUM FRIDERICA GUILELMA, BORUSSORUM REGI A CONSILIIS MEDICIS SUPREMIS INTIMIS, COLLEGII SUPREMI AD REGENDAS RES SACRAS, MEDICAS ET INSTITUTIONEM PUBLICAM, NEC NON COLLEGII EXAMINUM HABENDORUM SUPREMI MEMBRO, INSTITUTI POLICLINICI DIRECTORI, ORDINUM REGIORUM DE AQUILA RUBRA ET CRUCE FERREA EQUITI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORI SUMME VENERANDO, FAUTORI BENIGNISSIMO,

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRÆFATIO.

Magna in rerum medicinalium copia, quum deficiente prope omni peritia nec aliquid novi me allaturum esse, nec vires meas cuivis rei pares fore, sperare possem, multum temporis animo haesitavi, quamnam potissimum materiam, ut et mori veteri et legibus academicis satisfacerem, elaborandam mihi ponerem. Semper vero, libere confiteor, talis mihi materia maxime optabilis visa est, ex qua diligenter elaboranda, si non ad alium quemquam, certe ad me is fructus redundaret, ut multis libris perscrutatis sententiisque medicorum comparatis et, quantum in me esset, dijudicatis, aliquantum saltem scientiam meam augerem, et in iis potissimum rebus, quarum cognitio juveni medico maximi esse debet momenti, plus

viderem. Multum igitur diuque aucupatus, adhortante denique amicissimo Burckhardt, Med. Dr., ut de purgantium usu scriberem, hanc rem tractandam mihi sumendi consilium cepi. Sed quum nec temporis angustiae, nec deficiens occasio permisissent, ut rem totam uberiore calamo absolverem et pluribus praesidiis exornarem, campum latum, quem res mea mihi aperuerat, angustioribus finibus, qui ne adhuc vires meas egrediantur vereor, ita metatus sum, ut de purgantium in acutis tantum morbis usu disserere statuerem. Accedit, quod purgantium usus, quoniam superiore saeculo, dominante tum Gastrosi, nimia exaggeratione in abusum depravatus erat, recentioribus temporibus justo magis negligitur multique medici abusus periculum et sequelas malas prudenti quoque purgantium usui imputant. Nam etiamsi in priscorum magistrorum verba jurare, vel pro sententiis inveteratis, prout sacrosanctis, pugnare nolumus, tamen nostrum est, ut magnorum virorum auctoritate stabilitas et totorum saeculorum aestimatione comprobatas experientias animo memori agnoscamus et aequo ingenii acumine dijudicemus, imo ex ipsis erroribus fructus capiamus, et ita majore rerum copia muniti rectiores sanioresque rationes proponamus. Sed sine accurata et intelligente organismi cognitione rudis expe-

rientiae placita vel praejudicatas cujusdam scholae celebratas opiniones sectari, semper artis medicae progressibus pariter impedimento fuit, aeque ac subtiliorum theoriarum spinas sterilumque meditationum scruta, nullis diligentium observationum rerumque comprobatarum praesidiis adornata. Hæc ad purgantium usum applices velim, quorum vis raro accuratius investigata recteque observata et debito modo aestimata est. In primis enim artis diluculis jam eorum mentio fit. Hippocrates vero nulla adhibita indicatione evacuantem solam eorum vim noverat, eamque drasticorum tantummodo purgantium et veratri albi, quo criticas evacuationes efficeret. (Schulze de Helleborismo veterum. Halae 1717. — Dioscorides Mat. med. IV, 148.). Soranus quoque et Alexander Trallianus, nisi multa cum circumspectione propter debilitatem subsequentem, purgantia non exhibebant, Arabes vero prorsus fere ea detestabantur. Sed, ut omittam tempora illa alucinantia, quibus certis anni mensiumque temporibus secundum astrologiae leges praescribebantur, humoralis, quae vocatur, pathologia, multum in iis occupata, noxias materias fermentatione ex sanguine excretas eorum ope protrusit. Riverius quidem (pr. med. 150), proprias iis attrahentes vires tribuens, alio tempore alios

humores ex corpore per ea removeri posse credit, et habita ratione humorum cardinalium de Hydragogis et Melanagogis et Cholagogis et Phlegmagogis disserit. Stollii vero et gastrosis dominantis tempus purgantium fuit aetas aurea et florens, eorumque tum abusus certo plurime effecit, ut hodiernis diebus justo minoris aestimentur.

EXORDIUM.

De ventriculi vi digestiva Müllero teste nihil fere certi compertum habemus, neque theoriae Deutii nec Gmelini Tiedemannique de acido succo gastrico satis probatae sunt. Intestina tenuia vero nutrimenta continent acidis albumineque commixta, quae postea in intestinis crassis neutralisata et albumine privata inveniuntur. Ex quibus apparet, inter eorum functiones differentiam esse, et illa quidem, quum per vasa lymphatica absorbentia albumen sanguini tradant, nutritioni praecipue inservire, haec vero imprimis alimentorum mutatorum et in excrementa conversorum residua continere eaque ad excretionem idonea reddere. Quae materiae non amplius alibiles, quum in intestinis crassis paulatim conglomerentur iisque fluida, in corpore commutata et in intestinis velut noxia exhalata, admisceantur, felle imprimis accedente excrementa, quae vocantur, conformant. Fel autem, licet pars praecipua hujus mixturae, non excrementitium tantummodo est, quod Tiedemannus censet, sed potius putredinem cavet et tractus intestinalis motum incitat.

Hic enim motus, quem peristalticum nominare solemus, vermiformi et alterna contractione totius tubi

intestinalis alimenta consumta desuper pedetentim protrudit, donec excrementa praecipue in intestinis crassis, quae magnam dilatationem sustinent, accumulata tanto impetu in ani sphincteres invehuntur, ut eorum reluctationem superantia, adjuvantibus omnibus musculis abdominalibus et respiratoriis, certis vicibus et copiis expellantur. Omnia igitur, quae hanc promotionem juvant motumque peristalticum valide incitant, vehementiores frequentioresque effectus praestant. Quamobrem Mülleri sententiam, qua fel magnum secessuum incitamentum esse contendit, gravissimam existimo ad explicandam multorum remediorum vim purgantem, quibus specifica quaedam in hepar et in fellis secretionem vis tribuatur.

VARII EFFECTUS PURGANTIUM.

A. Vis primaria purgantium.

In eo omnium purgantium vis convenit, ut omnia aut directe aut indirecte, irritando musculorum intestinalium fibras, motum peristalticum adjuvent et augeant. Qui actus irritationis et ipsius contentorum intestinalium propulsionis variis modis adduci potest. Neque enim omnia purgantia, quae vocantur, sola locali incitatione in augendum motum peristalticum vim exserunt, sed nonnulla dantur, quae impedimenta tantum huic vi excretoriae obstantia tollunt. Molestorum quidem illorum symptomatum, quae vitiosas mancasque excretiones alvi comitari solent, non tam torpor intestinorum deficiensque musculorum intestinalium tonus causa est, quam faecum accumulatio motum peristalticum mechanice impedit et per-

iinacem alvi obstipationem efficit. Licet igitur, haec remedia in duas classes distribuere.

I. Ac prima quidem classis est eorum, quae negativa quasi ratione motum peristalticum efficaciorem reddunt, ita ut

1) aut vi mechanica aut pressione materias accumulatas et inertes emittant,
2) aut laxando et laevigando intestinorum spasmum tollant et ita excretionem faciliorem reddant.

II. Altera vero classis eorum est, quae positiva ratione motus peristaltici et numerum et energiam augent, idque

1) aut indirecte, aucta liquefactione et humorum intestinalium secretione, praecipue fellis, quibus intestinorum contenta solida emolliantur et lubrica et ad excretionem idonea reddantur;
2) aut directe, irritando nervos et intestinorum fibras, quibus musculi intestinalas ad frequentiores validioresque motus incitentur.

B. Vis secundaria.

Praeter hanc vero primariam sive localem vim, quam purgantia exserunt, etiam universalem reactionem totius organismi evocant; quae vis, secundaria sive universalis vocata, hisce potissimum momentis continetur.

I. Totus liquefactionis processus acceleratur, idque fit

1) partim aucta vi vitali et irritatione totius tractus intestinalis, qua re ejus glandulae et membranae mucosae et vasa exhalantia ad secretionem uberiorem incitantur et sanguis ceterique humores ad eum et ad organa abdominalia advehuntur;

2) partim vero aucto confluxu sanguinis eorumque secretorum, quae intestinis adducuntur, ut fellis, succi gastrici, pancreatici, enterici, qua re eorum in vasis periphericis accumulatio cavetur.

II. Tum aucto liquefactionis processu interna quoque resorptio augetur, ita ut venae resorbentes vasaque lymphatica ad majorem actionem evehantur.

III. Deinde communis in corpore copia sanguinis et humorum, itaque nutritio diminuitur atque irritabilitas deprimitur.

IV. Corrigens denique purgantium in nervos intestinales vis latius dilatatur ad ceteros nervorum sympathicorum et vegetativorum plexus atque ganglia abdominis et medullae spinalis inferioris, ita ut postremo totum nervorum systema plane alteretur.

Hac igitur universali concussione alterante, credo, non intestinorum evacuatione, gravi quidem, sed justo pluris ab eo aestimata, Hamilton, qui illam universalem vim negat, tot prosperos purgantium effectus obtinuit; hac potissimum, inquam, alteratione Stollio ejusque asseclis sæpe tot miranda atque vix speranda evenerunt, quae hodierno tempore immerito in dubium vocantur.

Purgantia vero in frigida et calida dividi, nemo ignorat. Ac frigida quidem et antiphlogistica motuum peristalticorum minus energiam quam numerum augent, et ut nervos ac vasa irritent, tantum abest, ut potius sanguinis vigorem deprimant et membranarum mucosarum systema ad alacriorem secretionem incitent. Itaque praecipue in affectiones febriles conveniunt, in eas potissimum, quae Synochae notam prae se ferentes pleno cum pulsu

ac forti conjunctae sunt. Quodsi laxantia, quo nomine frigida purgantia significantur, liquefaciendo et emolliendo solidas siccasque intestinis inhaerentes materias ad dejectionem idoneas reddunt, aut minuendo intestinorum vitalitatem nimis auctam et aperiendo vasa lymphatica spasmo occlusa intestina demulcent, aut adaucta glandularum secretione blande irritant et ita dejectiones leviter auctas efficiunt: purgantibus calidis — nam haec fuit altera eorum classis —, quae strictiore sensu purgantia nominare solemus, haec vis majore gradu tribuenda est, quum secretiones et secessus saepe praeter modum largos efficiant. Haec igitur purgantia propria, quum pro indole resinosa inter inflammantia numeranda sint, nisi vitalitate valde imminuta et sensibilitate maxime praevalente, cum fructu non dantur, neque in acerbiores affectiones febriles conveniunt.

USUS PURGANTIUM IN UNIVERSUM.

A. Conditiones generales, purgantium usum indicantes.

Utimur medicamentis purgantibus in morbis acutis

I. evacuandi causa, ut ventriculus et imprimis tractus intestinalis contentis liberentur. Morbi autem, qui medicamenta purgantia desiderant, hi sunt:

1) Omnes affectiones, in quibus retentio faeculentarum aut aliarum materiarum noxiarum dyspeptarum vel apeptarum morbum effecisse videtur. Illa autem alvi adstrictio, quae interdum optimae digestionis indicium est (Hamilton), minime

medicamentis purgantibus interpellanda est, quia nec intestinorum inertia, nec spastica vasorum exhalantium affectione efficitur.

2) Accumulatio corporum acutorum aut venenorum devoratorum, quae irritatione diuturna aut vi chemica gravissimam gastritidem et enteritidem excitant. Quibus in affectionibus oleis pinguibus aut meris utimur, aut purgantibus salinis. Substantias narcoticas Senna, Jalapa, ipsa quoque Aloë, conjuncta cum salibus et antimonialibus, egerunt.

3) Saburrae aliaeque biliosae, mucosae, putridae cruditates et sordes in tractu intestinali collectae. Hic vero affectionum varietas variam saepe, tam tempore quam medicamenti dosi, curationem postulat. Nam

a) aut humores et materiae morbificae jam depositae et ad evacuationem idoneae sunt et copia sua nocent; quo in casu primum humorum pravorum copia nimia evacuatione purgativa statim minuenda est, ut natura oneris portione liberata, quod reliquum sit, facilius expellat. Quod optime fit benignioribus medicamentis, quae sine magno humorum motu primam regionem expurgant et eam materiae morbificae portionem educunt, quae ad evacuationem magis opportuna est. Illius vero purgationis, quae nominatur minorativa, quantitatem indicat materiae supervacuae quantitas. Necesse est enim, totum corpus expurgari, ne infirmum aut morbo recidivo obnoxium maneat. Nam, quae relinquantur in morbis, eos recidivos facere, jam Hippocrates dicit (Aph. 10 p. 2). Materiae autem

coctae et mobilis dejectio fit per anum, non vomendo, si humores coctioni inservientes deorsum turgent; id quod Graeci nominant ὀργᾶν. Hujus turgescentiae signa propria et specialia sunt: lingua sordibus obducta, anorexia, amarities oris, genuum gravitas, dolores trahentes femorum, urina turbida, jumentosa, venter durus, interdum dolorificus, diarrhoea, flatus, tormina ventris, borborygmi, dolores colici, alia. Sed opus est, ut judicio acriori totam aegroti conditionem meditemur, praecipue pulsum et calorem, constitutionem annuam et epidemiam, et signorum causam bene circumspiciamus, neque ex singulis signis, quid faciendum quid omittendum sit, colligamus.

b) Sin vero materiae evacuandae nondum depositae, sed immobiles sunt, aut toto corpore adhuc morbifice divulgatae continentur, ad intestina deducendae et ad evacuationem praeparandae, tum dejiciendae sunt. Quod fit praecipue minuendo febrem, potu humectante, antiphlogisticis et laxantibus mitioribus, quibus, fracta morbi vi, humores critici ad tractum intestinalem ducantur et occasio detur, ut signa, quae nominantur, critica appareant. Quo in casu purgantia plerumque sub finem morbi porrigimus, quum in declinatione tantum status morbosi humores integre concocti sint et ad evacuationem praeparati. Nunquam enim cruda sed concocta tantum medicari debere, docet Hippocrates (Aph. 22. Sect. 1.). Ceterum certo constat, antiquos in principiis quoque morborum purgantibus indulsisse, praesertim in morbis febri valida carentibus, in quibus non adesset humorum cruditas. (Galenus de victus ratione in morbis acutis). Sic etiam Hippocrates (Aph. 24. Sect. 1.) docet, in morbis

acutis raro utendum medicamentis purgativis, idque cum praemeditatione faciendum esse. Putabat enim, purgantia caliditate sua et acrimonia morbos acutos augere et crises turbare, quum morbi acuti saepius critica evacuatione, quam purgatione, solverentur. Hoc autem ideo factum esse apparet, quod Hippocratis et Galeni temporibus acria tantum et vehementia et maligna purgantia propinari consueverant.

4) Emeticum praemissum, quod nullos secessus moverat, purgantis medicamenti usum postulat, quum semper portio materiae ejiciendae post vomitum remanens ad inferiorem intestinorum partem subducatur.

5) Sordes deinde et residua ex quibusvis morbis gravibus, ut ex morbillis, in intestinis collecta, quae facile morbum recidivum et metastases efficere possunt.

6) Diarrhœa critica commode acrioribus purgantibus adjuvatur, praesertim si crisis imperfecta fuit et ita metuendum est, ne reliquiae reciduas pariant.

Omnibus igitur his in affectionibus, ut aut depositio ad intestinum efficiatur, aut criticarum secretionum producta evacuentur, purgantium usus maximi est momenti.

Ac biliosae quidem et plerumque gastricae quoque secretiones acida et salina purgantia desiderare solent, parva dosi addita tartari stibiati; pituitosae vero et atrabilares secretiones mucum incidentia et incitantia et irritantia exigunt purgantia, quibus magna in atonia rheum et ipsa aloë adduntur. In universum eorum usus in omnibus

his affectionibus commendandus, quae aut largioribus et natura arteque adauctis in intestino secretionibus tolli possunt, aut hac via in discrimen adducuntur. Tales affectiones sunt imprimis venositas morbose aucta et plethora.

II. Tum purgantibus utimur, ut per antagonismum abducamus et organa nobiliora noxiis irritamentis liberemus. Quod fieri solet

1) in vehementioribus sanguinis ad caput pectusque congestionibus, ut in apoplexia, et nimis aucta cordis vasorumque actione, ubi purgantia non modo attractos ad intestinum humores ab aliis partibus derivant, verum etiam, validiora praecipue et roborantia, intestinorum inertiam et alvi ad adstrictiones et obstructiones propensionem tollunt;
2) in organorum nobiliorum inflammationibus, praecipue in eorum exordiis, ubi vividiore humorum ad abdomen confluxu haec organa magna ex parte morbifico incitamento liberantur;
3) in iis conditionibus, ubi, ut in infantibus et in febri nervosa, venaesectio parum commoda est.

III. Deinde purgantia dantur, ubi totum organismum in universum debilitare ejusque functiones coërcere volumus, qua re etiam praecipue sales debilitantes adhibentur.

IV. Denique incitandi causa, ut hac eorum, praecipue validiorum, vi non solum plexus abdominales, sed etiam medulla spinalis inferior in morbis nervosis et in paralysibus omnium membrorum, quae hac ex parte nervis exstruuntur, ad majorem vigorem irritentur; denique in magna omnium

functionum debilitante, praevalente sensibilitate, ut excitata laetiore intestinorum vi vitali metasyncrisis efficiatur.

B. CONDITIONES GENERALES, QUIBUS PURGANTIA VETANTUR.

Quod ad purgantium contraindicationes attinet, adnotandum est, haec iterum in frigida et calida secernenda esse, et haec propter vim imflammatoriam minus in morbis acutis indicari. Quamquam hic quoque nonnunquam conditiones occurrunt, quibus plenus eorum usus requiratur. Multum enim a genio epidemico, aetate, temperamento, sexu, consuetudine, idiosyncrasia pendet. Raro certe eorum usus prorsus interdicendus erit. Gravissima vero momenta, quae eorum usum in universum, si non plane vetant, certe valde restringunt, haec sunt:

I. Debilitas vera; quae bene discernenda est a virium suppressione, quae vocatur, ut in febribus nervosis; haec enim saepe nulla alia de causa, nisi ex accumulatis in primis viis sordibus profluens, apparet et ipsorum medicamentorum purgantium usu, ut prodigio fugata, statim evanescit.

II. Aetas et habitus; media enim aetas optime acriora tolerat purgantia, senes vero et infantes blandiora tantummodo. Eodem modo homines habitus laxi et gracilis facile exsolvuntur, commode etiam carnosi et bene compacti, obesi vero pariter ac valde aridi non bene purgationem tolerant.

III. Consuetudo; aegrotantis diligenter observanda est natura individualis; quidam enim mitioribus medicamentis

facillime et copiosissime expurgantur, alii vero fortioribus vix commoventur. Pari modo qui purgationibus assueti sunt, facilius eas tolerant, in iis vero qui nunquam aut rarissime purgati sunt, cautius procedendum erit.

IV. Tempus anni. Hanc conditionem specialem nostris temporibus jure omittimus. Aliter veteres. Hippocrates quidem (Aph. 47 sect. 6.) purgationes verno tempore, in aëre temperato, magis quam reliquis temporibus convenire docet. Putabat enim, calidiorem aërem vires debilitare et morbos calidos gignere, itaque purgantia vehementiora tempore calidiore non facile admittenda esse; quamobrem ante canem et in cane purgationes difficiles esse dicit (Aph. 5 sect 3). Imo Joann. Ant. Maginus in libro de legitimo Astrologiae in Medicina usu (cap. 9) et ceteri priorum temporum Astrologi docent, siderum influxus non esse negligendos in instituendis purgationibus et praecipiunt, in alterna Lunae cum Sole conjunctione et oppositione purgationem esse omittendam, quod raro feliciter eveniat.

V. Crises, quibus natura manifestum ostendit studium, materiarum criticarum aliis viis, veluti per cutem, ejiciendarum, derivatione in intestina turbari non debent, quare purgantia prorsus rejicienda sunt in exanthematibus acutis, ubi eorum eruptione opus est.

VI. Sordes in primis viis conflatae per præsentem aliquem morbum, cujus vera causa, plerumque laesa intestinorum functio, tollenda est, priusquam purgantia, imprimis acriora, in usum vocari possunt; praesertim quum plurima remedia, abnormem intestinorum functionem emendantia, jam simul evacuationi inservire soleant.

VII. Major organorum, imprimis abdominalium, sensibilitas vetat calidorum purgantium usum et frigida tantum patitur. Eodem modo organorum gastricorum sive inflammationes, sive vitia localia, sive ulcera, sive gangraena, calidorum purgantium usum prorsus detestantur, olea vero blande aperientia spasmumque minuentia permittunt.

VIII. Graviditas et menstruatio. Mulieres gravidae cautissime purgandae sunt, et jam Hippocrates (Aph. 1 sect. 4) huic sententiae suffragatur, quod simul cum humoribus excrementitiis per nisum nimium et uteri concussionem foetus quoque non firme adhaerens expelli possit. Sin vero morbus purgationem flagitat, efficienda est blandis medicamentis et benignioribus atque corpus minus concutientibus. Menstruationis tempus pariter purgantium usum repudiat, vehementiorum quidem et calidorum, quae etiam puerperio plane contradicantur.

IX. Affectiones nervosae et cachexiae. Nam qui his morbis laborant et ad spasmos propensi sunt, purgantia, praecipue acriora, minime sustinent. Qua in re id quoque bene notandum est, in morbis, qui exacerbationes habeant et paroxysmos, melius esse, intermissionis die aut remissionis tempore purgans exhibere. Phthisicis caute porrigenda sunt purgantia, quum vehementioribus et saepius repetitis facile tuberculorum in intestinis depositio prius effici et per suppurationem diarrhoea colliquativa cieri possit.

C. DE NOXIIS PURGANTIUM SEQUELIS ET QUIBUSDAM CIRCA EORUM USUM LEGIBUS GENERALIBUS.

Fuerunt, qui contenderent, diuturniorem purgantium usum nimia irritatione debilitatem intestinorum alvumque adstrictam efficere, nec non convalescentiam ex febribus morari et anorexiam ciborumque fastidium et cachexias et hydropsias afferre, humores in abdomine conflare et organismum ad morbos contagiosos propensiorem reddere. Recte quidem. Re vera enim aucto liquefactionis processu et ita perdito chylo, quem purgantia corpori detrahunt, totus organismus debilitatur. Sed moderanda videtur eorum sententia, quoniam, ubi consilium est, intestinorum contenta jam e circulatione exclusa et extranea quasi facta evacuandi, purgantia omnino non debilitant, sed e contrario, quo magis intestinorum functionem ad naturae leges redigunt, eo magis aegrotum recreant eoque citiora virium incrementa reddunt (Hamilton l. c. p. 18.)

Quod deinde contendunt, constantem irritantium usum non modo in corporis consuetudinem ea adducere, sed etiam irritamenti augmentum desiderare: hoc ad imprudentem tantummodo supervacuorum, florente valetudine adhibitorum, purgantium usum pertinet. Nam in iis morbis, in quibus faeces et contenta indurata augescunt, quorum propulsio ad valetudinem restituendam maxime necessaria est, minime opus est, ut purgantia continuentur vel augeantur, sed periculum potius incurrimus, ne organismus

debilitetur, nisi activam medicamenti vim simul convalescentia apparente, aut imminuamus aut plane removeamus.

Reperiuntur etiam, qui purgantia, quod parca vel nulla alimenta sumantur et idcirco nullae sedes exspectandae sint, in quibusdam morbis supervacua esse putent, non cogitantes, faeces etiam sine residuis alimentorum solidorum, sola variorum organorum secretione et fluidorum excrementitiorum exhalatione formari posse. Ex quo facile apparet, quam gravis et necessaria et ad sanationem et ad prophylaxin in febribus aliisque morbis quotidiana et regularis evacuatio sit.

Nunquam praeterea a medico omittenda est accurata excrementorum contemplatio et disquisitio et quasi haruspicium, quorum natura sola cognita facultatem ei dat, sanas et rationales distinctasque de morbo conjecturas faciendi et quantitatem et repetitionem singulorum dosium recte constituendi.

USUS PURGANTIUM IN SINGULARIBUS MORBIS.

A. FEBRES.

I. Febris continua remittens.

1) Febris inflammatoria.

Nostris temporibus purgantia frigida multos sed nimis temerarios vindices, prae ceteris R. Jacson (1), invenerunt, qui per haec venaesectionem supervacuam et, quod

---

(1) Sprengel über d. Fieber in Jamaica, aus d. Engl. S. 223.

sanguinis copiam minueret, omittendam esse putabat. Errat etiam I. Frank, quum enim hujus morbi naturam in nimia siccitate ponat, et in eo sanguis jam per se humoribus serosis careat: vitium morbi valde auget, si contra veram morbi indolem ipsam serosam partem purgationibus e sanguine educit. Reil (1) igitur prorsus eas rejicit; nam nisi si ex manifestis signis sordes adesse suspicari possis, cum cautione frigida purgantia porrigenda sunt. Alvus enim adstricta in nullo febrium genere convenit. Itaque Riverius in ephemera et febri consensuali et inflammatoria, si alvus non sit aperta, aut intestina cruditatibus scateant, clysmata et laxantia commendat. Recentioribus vero temporibus quum existerent, qui, purgans plane venaesectionis vices agere posse, inepte crederent, abusu purgantium multae febres inflammatoriae in gastricas conversae sunt.

2) Febris nervosa, (versatilis et stupida P. Frankii, typhus cum erethismo et torpore Hufelandii).

Hoc in morbo Hunter et Huxham beniguiora tantum laudant purgantia, quod sine magna agitatione alvum et primam regionem evacuent, vehementiora vero intempestive adhibita statum nervosum augeant. Paribus laudibus eorum usum P. Frank, Burserius, Stoll, Vogel, Richter, Hufeland efferunt, ubi ex materiis pravis noxie in nervos influentibus debilitas falsa exorta sit. Hic summas et gravissimas non modo medelae

---

(1) Fieberlehre Th. II. S. 48.

partes evacuationes agunt, sed quodammodo etiam roborant; nam causa sublata per purgationem omnia debilitatis falsae symptomata mira celeritate evanescere, affirmat Richter (1). Calomelanis vero usus, quamvis salubris, tamen ab Hamilton laudibus justo majoribus ornatus est, quum praecipue in primis tantum stadiis ad inflammationes topicas, ut encephalitidem, depellendas opportunum sit et venaesectio aegre feratur. Hoc sensu Goeden (2), quum arachnitidem summam morbi causam esse putaret, eo utebatur. Falso illi; nam vera laude in illa tantum febris nervosae complicatione pituitosa dignum est. Hic glandularum mucosarum statum pituitosum ad sanationem incitat et ita morbi causam aufert; perinde pituitae derivationem ad intestina movet. Sed contra verum statum nervosum unquam multum profuisse id non puto.

3) Febris putrida.

Ob proclivitatem ad colliquationes implacabiles plerumque purgantium usum non tolerat, quamquam Vogel magnam in iis opem ponat, et calomelane et solo et cum china conjuncto feliciter usus sit. Riverius contra, Pringle et Val. ab Hildenbrandt magis iis obstant, nisi sordes gastricae manifestae adsint. Riverius (3) clysmate, aut blando laxante singulis vel alternis diebus sedes modicas aliquot ciere studet, quum hic nunquam adstricta alvus diutius quam viginti quatuor horas admit-

---

(1) Spez. Ther. B I, S. 355. (2) Baumgärtner's Path. II. p. 149. (3) Prax. med. p. 337.

tenda sit. Hoc modo solum diarrhoeas colliquativas post orientes et meteorismum lethalem evitare possumus, quod Stoll (1), et Riverius (2), et Hildenbrandt, et Pringle testantur.

4) Febres gastricae.

In quaque febri gastrica materia corpori inhaerens morbi causam sistit, quae aut ad intestina deducenda aut statim educenda est. Quarum febrium multae complicationes cum inflammationibus topicis, exanthematibus febrilibus, statu nervoso et putrido, — purae enim febres gastricae rariores sunt — purgantium usui locum dant aptissimum. Loquamur igitur de variis febris gastricae speciebus, ut medelae varietates perspiciamus. Ac primum quidem sordes mobiles esse possunt et ad evacuandum aptae, signis notis deorsum turgent; quo videmus in febri saburrali, aut ex indigestione, aut ex colluvie biliosa et pituitosa et atrabilari aliisque oborta. Tum sordes immobiles sunt, neque aptae ad evacuandum, quod occurrit in febri pituitosa et biliosa et atrabilari. Deinde nondum ad intestina depositae sunt materiae, aut in organis vicinis aut in toto sanguine circumvagantur; inde arte ad intestina deducendae et ad evacuationem idoneae faciendae sunt. Talis est ratio febris gastrico-venosae. Materiis vero mobilibus factis aut depositis, evacuatio non aliam curam desiderat, quam in febri saburrali simplici. a) Quam primum enim sordes mobiles et evacuationi aptae cum signis notis

---

(1) Stollii Aphor. p. 167. — (2) l. c. p. 309. —

deorsum turgent, statim ad purgantium usum progrediendum est. Ac saburris evacuandis **biliosis** optime respondent purgantia acida, tamarindi, manna et salia tartarica, dummodo nondum propter acrimoniam diarrhoea vehemens adsit, aut morbus ad statum typhosum vergat et bilis secretio jam immense aucta sit, ita ut, quod evacuetur, statim succrescat. Falsa hic medici veteres de bilis cruditate et coctione docent; nam evacuationes naturales non semper artificialium vices explere possunt, quae vel tum profuerunt, ubi jam evacuationes a natura immodice motae accesserant. Sine ratione igitur nostris temporibus in his affectionibus cum statu nervoso complicatis a purgantium usu abhortantur, quod debilitatem augeant et ita aegrotum mox e medio tollant. Imo vero hic roborant et vera sunt nervina, dummodo cautione adhibita vere pravas materias noxie in nervos irruentes evacuent (1). Calomelani quidem vel specifica ad hepar relatio inesse videtur. Sin vero aegroti vires ipsarum materiarum noxiarum evacuationibus non levantur, sed symptomata morbi crescunt et in pejus vertuntur, purgationes statim vel minuendae vel inhibendae sunt. Idem de earum in **febri pituitosa** usu dici potest. Nam quum in hac quoque febri debilitas permagna sit, inveniuntur quidem, qui hic purgantium usum metuant; sed non possumus iis carere, ubi copia pituitosarum illuvierum mobilium in intestinis scatet. Ipsa quoque dibilitas hic ea non contraindicat, sed tum roborant potius

---

(1) Richter über gastr. Fieber p. 121.

evacuatione vires nervosque. Hydrargyrum muriaticum mite hic omni laude majus est, quum fere specifice in glandulas aegrotas agens earumque secretionem in integrum restituens morbi causam tollat et pituitam quoque, ventriculo et intestinis fixe inhaerentem, revellat (unde mucum incidens nominatur) et evacuationes non immodice debilitantes moveat. Inde eximia in typho nervoso a medicis ei tributa laus promenda est; minus vero contra statum vere nervosum valet, nisi ejus complicationem pituitosam tollat aut inflammatoriam cerebri ad organa gastrica derivet, de quibus infra. b, Sordes in intestinis insidentes nondum mobiles et ad evacuationem aptae sunt. Nimia tum siccitas intestinorum potionibus humectantibus parvisque purgantium dosibus removetur et pituitæ immobilitas purgantibus incidentibus calidis expeditur; iisdem etiam opus est, si in febri atrabilari nigrae massae motibus intestinorum et febris non satis expelluntur. Duplici autem semper praemeditatione opus est, primum ut purgantia suo tempore, i. e. non prius, quam materiae ad intestina depositae sint, porrigantur, quod sedes frustraneae, aegrotum caducum nimis debilitantes, vitandae sunt; dein, ut modicae evacuationes raro neque nimis festinanter instituantur; quae si nimis accelerantur, nihil educunt sordium, sed excretionibus aquosis valde debilitant, quoniam sordes intestinis fixe inhaerentes nondum mobiles sunt, et igitur antea ad evacuationem praeparari debent. Una autem evacuatio nimis larga nunquam plurium modicarum continuo institutarum vices supplere potest. Refracta dosis optima forma ad sufficientes evacuationes promovendas. c) Si materiae in systemate bilifero, in venis lymphaticis, aut toto sanguinis fluxu retentae nondum ad intestina depositae sunt, purgantibus ad eas alliciendas utimur. Ad febrem igitur gastricam venosam sanandam, si humorum in sanguine circumvagantium crisis

intestinalis apparet, purgantia commode exhibemus, primum ut depositionem materiae morbificae ad intestina efficiamus et hoc modo febrim convertamus in saburralem simplicem; cujus medelam modo commemorato haec remedia suscipiunt. Sin vero natura per sudorem et urinam crises movet, purgantium usus semper damnosus est. Quo gastrosis vigebat, tempore hac mothodo antigastrica febres simplices arteficiose in gastricas commutatae sunt, et tam crebrae fuerunt, quod abusu purgantium intestina valde labefacta erant, ita ut natura libenter ad materias deponendas loco maxime disposito uteretur.

5) **Typhus abdominalis**, sporadicus et contagiosus, febris petechialis, Dothien- et Gastroenteritis.

Hanc febris nervosae speciem adjungimus, quae nostris temporibus a Val. ab Hildenbrandt pro morbo singulari habita est. Saepe habet originem aut complicationem gastricam, quamobrem non raro feliciter purgantibus, praecipue calomelane expugnata est. Lesser(1) novissimis temporibus calomelas magnis dosibus datum, subjunctis deinde aliis ex oléo vel senna purgantibus, summum esse remedium docuit, quod ipse optimo eventu dedisset, si sedes faeculentas movisset. Nunquam diarrhoeam valde augebat. Autenrieth (2) etiam, Jahn, (3) Wedemeyer, (4) Bischoff, (5) Spangenberg, (6) Thilenius, (7) Baumgaertner, (8) usum

(1) Die Entzündung und Verschwärung d. Schleimhaut des Verdauungskanals 2c. S. 397 ff. — (2) In d. Samml. med. prakt. Dissertat. Tübingen St. II. S. 241. Dissert. de utilit. Hydrarg. in febr. typh. infl. 1814. — (3) Hufelands Journal B. 41. St. 4. S. 27. — (4) Ueber Erkenntn. u. Behandl. d. Typhus S. 198, 213. — (5) Beobacht. üb. d. Typh. S. 76. Horns N. Archiv 1809 B. X. St. 1 S. 49. — (7) Hufel. Journ. B. 41. St. 4. S. 27. — (8) Ueber Nat. u. Behandl. d. Fieber B. 2. S. 449. —

ejus valde laudant, praecipue contra affectiones topicas inflammatorias, ut encephalitidem et sordes gastricas. Thompson idem contra febrim nervosam putridam in Batavia grassantem non minoribus laudibus effert vel alvo mota continuatum, Brien (1) quoque contra febrim typhodem epidemicam eo usus est. Pari modo Richter et Sundelin (2) in typho abdominali, et sporadico et contagioso, si in morbi decursu signis manifestis crisis intestinalis indicetur, purgantia frigida et calida felici cum eventu dederunt, quamquam Val. ab Hildenbrandt (3) propter timendam colliquationem hujus methodi vindex non est, qua omnium maxime Hamilton (4), in toto morbi decursu sine ratione et debita indicatione purgantia larga administrans, abusus est. Quorum de usu in hoc morbo in universum haec potissimum tenenda videntur. In primo morbi stadio commodissima sunt, si materia, complicatione gastrica raro deficiente, deorsum turget; quae, evacuatio ubi neglecta fuit, diarrhoeam vix sistendam et meteorismum incitare solet. Tunc vero purgantium usus valde ambiguus est et solis clysmatibus alvus ducenda. Nunquam enim, quum sordes accumulatae acrimoniam ac putredinem concipiant et inflammationem et meteorismum verumque putridum statum adducere possint, adstrictam alvum longius per tempus pati debemus. Accedit, quod sordium evacuationibus criticarum saepissime vires, materia peccante ablata, ut in febri nervosa et pituitosa, relevantur et ita convalescentia adjuvatur. Aestate vero et in terris tropicis, ubi proclivitas ad diarrhoeas colliquativas valde magna viget, majore cautione purgantia adhibenda sunt.

(1) Transact. of the Association of Fellows etc. No. 20. Gerson u. Julius Magazin B. XVII S. 556. — (2) Heilmittell. B. I. S. 257. — (3) Ueber den ansteckend. Typhus 1809. S. 225. — (4) Bemerk. über d. Nutzen d. Abführm. etc. übers. v. Müller 1823. S. 26. —

II. FEBRIS INTERMITTENS.

Harum febrium species plerumque initio gastricam habent indolem, et purgantium igitur usus hic indicatus est, quum sordes saepe febris causa sint, saepe coincidant; interdum per eam efficiantur. Quod ab omnium temporum medicis semper bene intellectum est. Nam in eo omnes consentiunt, ut cujusvis talis febris curatio aptissime ab evacuatione incipienda sit. Itaque jam Galenus (1) et Celsus (2) purgationes in febri intermittente instituerunt et clysmate breviter ante initium paroxysmi injecto statim ad evacuationem materiae morbificae progrediebantur. Tempus inter duas accessiones eligendum. Multi vero Hippocratis quibusdam (in libro de affectionibus) dictis innixi, ante paroxysmum exhibenda esse purgantia censebant, quod materia agitata per accessionem facilior ad expulsionem redderetur. Sed Stoll (3) mox a paroxysmo, materia deorsum turgente, purgans dat cito agens, solvens salinum, contradicente Chomel (4), qui purgantia in paroxysmo adhibita nimiis molestiis et evacuationibus valde noxia esse monet. Pariter Richter (5) docet, priusquam primae viae sordibus purgatae et liberatae sint, non impune febrifugis locum dari; a quorum reiteratione dehortatus, consentiens cum Al. Thomson (6), calomelas praecipue in complicatione pituitosa probatum commendat. Theden et Selle et Baumgärtner (7), medicamenta alvum laxantia, salia parca dosi,

---

(1) De arte curandi, ad Glauc. lib. XII, 10. — (2) De re med. lib. III, sect. 14. —

(3) Aphorism. p. 147. — (4) Ueber d. Fieber S. 212. — (5) Ueber gastr. Fieber S. 193. — (6) Medical Essay. of Edingb. T. IV, art. 24. — (7) Therapie Th. I, S. —

specifica **Crollii** et **Riverii** (1) laudant, ac **van Hoven** (2) methodum **Unzeri** (3), qui sulphure aurato purgationes instituit, amplectitur, nec minus **Fr. Schraud** (4) laxantia frigida et calida defendit. His omnibus adversatur **Reil** (5), vituperans purgantia acriora, ut pilulas **Ailhaudii**, quippe quae eo, ut alium in intestinis morbum procreent, febrem supprimant. **Sydenham** fere prorsus, **Tortius** vero non omnem quidem purgandi rationem rejicit, sed blandam tantummodo, lenem, temperatam permittit. Celeberrimus **Burserius** (6) negat purgantium amatores, quod sibi proposuerint, unquam assèqui, quippè ut primas vias et viscera a pravis succis et obstructionibus liberent; iis potius cruditatem augentibus iis viresque posternentibus febres diuturniores reddi. Sed ubi purgand indicatio non deest lenibus medicamentis alvum duci licebit. Nam, quod recte jam **P. Frank** (7) asserit, semper febris, eo dncenda est priusquam febrifuga porrigi possunt, eo ducenda est, ut fiat sine materia quemadmodum veteres dicunt. Certe tum febres pertinaces perniciosaeque, creberrimae recentioribus temporibus, rariores evadent.

B. INFLAMMATIONES.

Hic laxantia, utpote quae nimiam totius corporis actionem vitalem minuant, venaesectioni aequiparanda sunt eorumque derivativa vis in eo collocanda, ut, quum morbum in intestino excitent, per antagonismum, qui inter tractum intestinalem et multa organa nobiliora exstet, auctam vim vitalem noxiumque

---

(1) Opera omn. p. 526. — (2) Richters spez. Therp. Th. I. S. 169. — (3) Der Arzt S. 126. — (4) De febribus tentamina duo. — (5) Fieberl. Th. II. S. 204. — (6) Tom. I p. 158. — (7) Th. I, S. 80. —

incitamentum ab inflammata parte derivent. Quam medendi rationem Reil (1), et P. Frank (2), et S. Vogel (3) in inflammationibus oculorum et aurium omniumque partium superiorum commendant. Ex alvo enim facile illae materiae noxiae, a nobilioribus partibus derivandae, ejici possunt. Hinc multorum non antiphlogisticorum medicamentorum in inflammationem vis declaranda est. Eorum autem omnium praestantissimum est Hydrargimur mite, quod tutissime et citissime abnormi illi secretioni et coagulationi lympathicae ad organa gastrica directionem dat. Quod secessus virides quo magis excitat, eo major in omnibus inflammationis speciebus erit salus; commodissime vero exhibetur illud medicamentum in diathesi inflammatione exsudativa (4), diathesin catarrhalem sequente, praecipue in morbis infantium. Vulnerum praeterea fere omnia genera, quum complicatio gastrica raro deficiat, purgantium usum desiderant, ut sanguinis ad partes laesas congestiones minuantur et inflammationis indoles gastrica auferatur. Sed quia longum est, omnes singulorum organorum inflammationes enumerare, quibus purgantium usus saluberrimum se praestet, sufficiat, eas tantum commemorare, quae, quod frequentiores sint et periculosiores, prae ceteris libenter purgantia adhibita velint.

I. MORBI INFLAMMATORII CAPITIS.

Quamque cerebri affectionem vel idiopathice vel secundarie symptomata gastrica comitantur. Nam sicuti ex statu gastrico vel biblioso vehementissimi capitis dolores et deliria et

---

(1) Fieberl. Th. I. S. 305. — (2) Th. II. S. 29. — (3) Th. IV, S. 63. 68. — (4) Richter l. c. S. 80.

encephalitis (unde veterum phrenitidis cum paraphrenitide commutatio) oriri possunt: sic hac cerebri affectiones per illum, quem inter caput et organa abdominalia esse scimus,-antagonismum possunt excitare morbos gastricos. Antigastricorum igitur medicamentorum usus hic semper indicatus erit, et quum emetica vomendi nixu sanguinis ad cerebrum affluxum augeant, purgantibus potius derivantibus locus tribuendus est. Atque quo clarius apparet status gastricus, eo minus sunt omittenda, quoniam hic vim vere antiphlogisticam habent. P. Frank quidem et Vogel eorum usum commendant et celeberrima fuit Hamiltonii (1) methodus, qua tamdiu calomelas cum parva opii dosi porrigebatur, donec sedes largiores sequerentur (2). Stoll (3) quoque in omnibus capitis affectionibus, ut in dolore capitis biblioso et congestivo et apoplectico, in phrenitide vera et traumatica et bibliosa, purgantia prospere adhibebat, iisque vel hemiplegiam et furorem, e bile et neglecta febri bibliosa ortum, feliciter sanavit (4). Pariter Riverius (5) et Richter (6) purgantibus optime exsudationem lympathicam in hydrocephalo acuto infantum prohibere docent; idem Meissner (7), qui maximum auxilium in eo ponit, ut alvus adstricta calomelane expurgetur et congestiones excretionibus largis tollantur; quamobrem Goelis jalapam addit, quem sequuntur Cruveilhier (8), Jörg (9), Jadelot (10), Plenk. (11).

---

(1) Samml. auserles. Abhandl. für prakt. Aerzte. B. XI. S. 65. — (2) Richter's chirurg. Bibl. V. XI. S. 428. — (3) Aphor. p. 21. 22. — (4) Rat. med. T. II, p. 91. 92. 97. — (5) p. 39. — (6) Gastr. Fb. 82. — (7) Kinderkr. S. 129. — (8) St. Samml. auserles. Abhandl. f. prkt. Aerzte. B. IV. St. 2. — (9) Kinderkr. S. 618. — (10) Journ. de Med. de Chir. et de Pharm. 1806 V. XI Avril. — (11) Kinderkr. S. 44. —

Quamquam in delirio tremente (quod statim hoc loco morbis inflammatoriis adjungi liceat) colomelanis cum jalapa conjunctio a Renton (1) praetermisso opio, valde laudatur, et Lind, Armstrong, Albers, Brown, Strempel, Ebermayer idem cum opio conjunctum non minus feliciter adhibuerunt, et Günther morbum cerebri affectionem primariam esse putans, et Playfair (2), purgantia emeticis praeferunt: tamen purgantium usus eo coercendus est, ut praecipue in prodromorum stadio porrigantur, si alvus adstricta, amaritudo oris ceteraque symptomata gastrica adsint. Magna certe cautione semper opus est, quia facile nimis debilitant et morbo ad stadium tertium accelerato exitum funebrem adducunt (3).

Apoplexiam quoque, licet non inflammatorius, sed nervorum morbus est, propter congestiones, quas ad cerebrum concitat, hoc loco absolvamus. Deglutitione plerumque impedita, satius est, alvum, si adstrictio adsit, clysmatibus, quam purgantibus internis deducere. Atque plethoricus in hominibus robustis status laxantia frigida, apoplexia vero nervósa purgantia excitantia sibi vindicatur. Quae quidem, quum intestinis incitatis caput congestione liberent, multum ad curam prophylacticam valent, sed diutius adhibita facile adstrictionem alvi habitualem efficiunt et debilitant. Ubi vero venaesectio apte institui non potest, alvus tamen purgari debet, maximam semper utilitatem vel vehementiora purgantia afferunt. (4) Hoc modo etiam Burserius (5) vel acerrima purgantia non reformidatur et catharticis illud molitur, quod passim emeticis alii nituntur.

---

(1) Froriep's N. B. XXV Nr. 4 S. 62. — (2) Med-Chir. Zeitung 1827 B. 2 Nr. 28 S. 29. — (3) Hall. Lit. Zeitung Nr. 84. S. 670. — (4) Richter's Sp. Ther. B. 8 S. 786. — (5) Burs. Inst. T. II p. 101. —

II. MORBI INFLAMMATORII COLLI ET PECTORIS.

Angina. Quia morbus non dat inducias, Riverius (1) sanguine affatim detracto statim ad purgantia progreditur; nec non Trallianus (2), sed potionem ex blandioribus formandam esse adnotat, quae maximo usui sint, si morbus a bile originem duxerit, vel complicatio gastrica adsit. Frequentibus acribusque clysmatibus alvus subducenda est, ut humorum ad inferiora revulsio efficiatur. Talia cum fructu adhibuerunt omnes medici magni ab Hippocratis aetate usque ad Stollii (3) et nostra tempora. Sic Stoll (4), Lentin (5), Burserius catharticis antiphlogisticis, vel acrioribus saltem clysmatibus alvum duci jubent. Idem P. Frank (6) et hic et in Cynanche porotidea laudat. Quae vero de purgantium usu in angina tonsillari, seu catarrhali et biliosa et suppuratoria dici possunt, ea omnia magis etiam de forma maligna, s. gangraenosa valent. Richter (7) igitur et Meissner (8) et Burserius (9) suo jure eorum usum probant, et Vogel (10) purgantibus mitioribus caute porrigendis antiseptica adjungit, et Schönlein (11) tartari emetici magnis dosibus alvum large excerni jubet, idemque in angina aphthosa, quod saepissime saburra putrida primis viis inhaereat et status gastrico-putridus adsit. Calomelanis igitur (cui falso medici britannici, ut Fothergill, Baylie, Michaelis (12), opium adjungunt) vis laxativa augenda potius quam restringenda est. Hamilton (13) autem

---

(1) Prax. med. p. 95. — (2) Lib. IV cap 1. — (3) Aphor. 30. 31. 37. — (4) Rat. med. T. III p. 115. — (5) Memorab. circa aër. etc. Claurthal. p. 73. — (6) II, 113. — (7) l. c. p. 465. — (8) l. c. T. II p. 100. — (9) l. c. T. III p. 344. — (10) Th. IV S. 177. — (11) Vorlesungen Th. I. S 256. — (12) Richter's chirurg. Bibl. V, 737. — (13) l. c. p. 46. —

prae omnibus, varias de purgantium utilitate controversias refutans, purgantia in cynanche maligna commendat, sententia nisus Huxhami (1), qui cathartica mitiora, etiamsi in morbi principio minus indicata sint, tamen in ejus decursu laudat, utpote quae illuviem putridam ex intestinis excernant, quo facto vires vigorque et appetitus ciborum mox redire soleant. Quum bilis putrida morbi quasi pabulum sit, catharticis intestina ab accumulatione horum humorum ex collo delapsorum exonerat, melius intestina a purgante irritari posse ratus, quam ab aerium humorum retentione depravari et excoriari. In angina parotidea autem Hamilton et Russel hanc methodum dissuadent, quod inde facile metastasis ad testes existere possit; quamobrem Reil (2) quoque, nisi mitiora, non porrigit purgantia.

Laryngitis et Tracheitis. Quoniam longum est, omnium de purgantium usu hoc in morbo sententias afferre, (quum jam solae de hac re monographiae plus quam ducentae numero exsistant) sufficiat, praestantiora, quae huc pertinent, commemorare. Hoc igitur in morbo (ab Home primum Croup nominato), quia, sicuti in hydrocephalo, necesse est, lympham exsudativam ad organa gastrica derivari, ab omnibus fere, qui rem tractarunt, medicis praemissa venaesectione Mercurius dulcis unanimi consensu praedicatur, qui specifico fere modo summum saepe periculum auferat. Primum Anglici et Americani medici eum hac methodo purgatoria administraverunt et Rush (3) et Kühn Philadelphiae maximis laudibus eum efferunt; Redmann (4) quoque multos hoc modo sine

---

(1) Dissert. de cyn. mal. p. 297. — (2) Fieberl. Th. II. S. 507. — (3) Vogels Arzenei Wiss. Th. IV, S. 143. — (4) Bayley's auserl. Abh. B. VIII S. 223. —

incommodis sanavit; quos secuti Germani Thilenius (1), Lentin, Harless, Jahn, Henke (2), Reil (3), Michaëlis (4), non satis eum laudare possunt. Autenrieth igitur et Marcus et Carweight (5) venaesectionem supervacuam esse putabant, si ad maximas vastasque doses usque remedium exaggerarent; quod optime iis evenit in epidemiis catarrhalibus. Sed ejus abusus non semper sine calamitate fuit, et Jörg vehementissimam saepe inde enteritidem exortam esse viderunt. Temere vero Albers diarrhoeam sequentem et largos illos secessus virides metuit. Nam expertum est, quo prius acrimoniae pathicae per alvum dejectiones moveat, eo plus praestare mercurium, nunquam vero eodem tempore salivationem existere (6). Imo opus est, purgantia hic adhiberi, si vel ob praegressam ingluviem, vel ex genio epidemico complicatio gastrica adsit.

Bronchitis. Badham (7) et Hastings quamprimum hic laxantia antiphlogistica propinant commodeque repetunt: Lorinser (8) quoque et Schönlein (9) ea non omittenda esse docent. Locher-Balber (10) in infantium bronchitide tartaro stibiato largas evacuationes movere solet, quod cum alii, tum Richter (11) vituperat, qui vel usitata purgantia, jam a Sydenhamo commendata et laudata ab Hastings, suspecta habet. Jure vero novissimis temporibus, quum nimis debilitantia crises perturbarent, minus in usum vocata sunt; nam Schmidtmann (12), licet in principio eorum vindex, mor-

(1) Med. chir. Bem. S. 52. — (2) Kinderkrankh. S. 390. — (3) l. c. II, 490. — (4) Ueber häut. Br. 1812. S. 109. — (5) Med. chir. Zeitg. 1827. B. IV. S. 195. — (6) Richter, l. c. I, 487. — (7) Versuch üb. Brch. aus d. Engl. v. Kraus ed. Albers. S. 158. — (8) Lungenkrankheiten S. 419. — (9) Vorlesungen Th. II. S 463. — (10) Hufel. Journ. B. 56. St. 6. S. 69. — (11) l. c. II. 259. — (12) Summ. obs. med. V. I. p. 83.

bum iis produci expertus est. Non ab re me facturum esse arbitror, si hoc loco quaedam de spasticis illis organorum respiratoriorum morbis afferam, qui a multis falso inflammationibus veris adnumerantur. In tussi convulsiva et asthmate Millari omnium fere minime, quum hic antispasmodicis optime locus tribuatur, purgantia adhibentur. Autenrieth anginae membranaceae meditam hoc in morbo, sed perperam, administrat, quod utriusque morbi naturam eandem esse putat. Tourtual (1) autem non pari incommodo in tussi convulsiva purgantia adhibet, quum sputa ab infantibus plerumque deglutiantur et, si natura hanc crisin non moveat, arte dejicienda sint.

Pneumonia et Pleuritis. Quamquam sunt, qui, ut olim Bagliv 2), purgantia in morbi principio exhibita sputa supprimere febremque adaugere putent, tamen non exigua laus hic frigidis purgantibus tribuenda est. Riverius (3) enim, qui ea in decursu tantum morbi permittit, et Grant (4), et Sydenham (5), qui purgantibus acrioribus materias atrabiliares pituitosasque in sanguine circumvagantes expellere conati sunt, similem in modum falluntur. Richter vero caute tantum ea et Reil (6) parvas tantum doses porrigit, quamquam Vogel (7) contra semper ea magis prodesse, quam nocere affirmat. Equidem persuasum habeo, semper ea utilitatem afferre, si post venaesectionem lenienti aliquo medicamento alvus solvatur, praesertim ubi cruditatis, aut putridae materiae in primis viis indicia adsint. Verum enim in medio jacet et vana quasi somnia captant, qui, ne per alvi deductionem exspuitio, in his morbis maxime necessaria, inhibeatur,

(1) Beitr. z. Ther. d. Krankh. S. 99. — (2) Op. omn. med. pr. ed. Kühn T. I p. 40. — (3) Prax. med. p. 107. — (4) Th. I S. 472. — (5) Th. I S. 168. — (6) l. c. II, 628. — (7) l. c. IV, 227. —

inepte timent, dummodo alvus in morbi principio medicamentis mitioribus, non validius exagitantibus, moveatur. Omnium vero tutissima, quod jam Burserius (1) docet, in omnibus morbi stadiis enemata sunt, quae impune alvum conservant apertam, clausam commode aperiunt, non sine magno morbi levamine. Optime autem purgantia conveniunt in peripneumonia notha Sydenhami, et Stoll (2) et Richter (3) alvum solventia hic vera antiphlogistica nominant, atque Vogel (4) Hamiltonii methodum, ut semper votis respondentem, in pleuritide biliosa enixe commendat.

Novissimis temporibus Peschier (5) sua methodo, qua tartarum stibiatum maximis dosibus usque ad affectum purgativum exhibet, purgandi utilitatem clare demonstravit. Quam methodum, jam antea a Brendel, Schroeder, Richter administratam, Wolff, Albers, Tourtual, Brosius, Basedow, Mehlhausen, alii nostris temporibus comprobant, quamvis alii, ut Nasse, Elwert, Sibergondi, Vaguin, incommoda demonstrantes, usum nimis audacem dissuadent.

III. MORBI INFLAMMATORII ABDOMINSI.

Gastritis et Enteritis, quum methodum antigastricam male tolerent, prorsus fere purgantium usum vetant, quod intestini jam per se inflammati noxium incitamentum valde augeant. Materiae autem acres gastricae, vel biliosae vel aliae, ipsae saepe morbi causae, ne denuo irritamentum praebeant, semper clysteribus evacuandae sunt. Olea pinguia eccoprotica, quamquam permittenda, magna tamen cum cautela et delectu porrigenda sunt. Sed quum status gastricus febrilis aut febri vacans, saepissime proxima causa, inflammationem topicam creare

---

(1) l. c. IV. 120. — (2) Aph. p. 132. — (3) Fieberl. S. [illegible]. — (4) l. c. IV, 227. — (5) Frorieps Notiz. B. III. S. [illegible]. — Julius und Gerson's Magaz. B. IV. S. 352. —

possit: in inflammationibus mesenterii, omenti, peritonaei, pancreatis ceterorumque abdominis organorum, quae ex tali statu gastrico originem ducunt, nullo modo purgantium usus refutari poterit, quam rem prae ceteris testantur Stoll (1) Vogel, (2) Riverius, (3) P. Frank, (4) Richter (5) Schönlein. (6) Talis originis inflammationes in febri gastrica saepissime occurrunt, et quoniam plerumque non recte cognoscuntur, tristis exitii causae sunt, si non tempori evacuationibus necessariis tolluntur. Sic Richter (7) in decursu praecipue horum morborum purgantibus opus esse monet, quum perpetuo prava bilis excernatur et accumuletur; quod quidem in convalescentia bene respiciendum est. Constat enim inter omnes, expurgationes blandas recto tempore neque serius institutas optime Meteorismum, fatalissimum Peritonitidis symptoma, cavere. Id vero certo stabiliendum semperque observandum est, priusquam dolor, venaesectione instituta, aliquantulum remissuserit, medicamentum purgans non esse exhibendum. Britannici quidem medici excretiones oleo Ricini effectas magnis Mercurii dulcis dosibus sustinent, sed, quum jam in sanis intestinis ex Mercurii usu inflammationis signa appareant, nescio quo jure, nisi forte Hahnemanni methodo, inflammationem inflammatione depugnandi, aut ridiculis ejus dosibus utendi consilium ceperis. At maxime omnium inflammationum gastricarum Mercurii et purgantium usui accommodata est Hepatitis. Quantum enim hic purgantia leniter abducentia et

---

(1) Rat. med. II, 96. 117. — Aph. p. 101. — (2) Arzen. Wiss. Th. IV S. 290. 317. 346. — (3) Prax. med. p. 149. — (4) l. c. II, 247. 261. 282. 292. — (5) Sp. Ther. II, 601. — (6) l. c. I, 280. — (7) Ueber gastr. Fieb. S. 201. —

expellentia putredini biliosae obnitantur, jam a Stoll (1) et Richter (2) demonstratum est, et Schönlein (3) sedes illas virides oleo Ricini, Magnesia aliisque laxantibus continuat, donec colorem et foetorem amittant. Lind quoque, Hamilton, Chisholm, Crawford, Clark, Wilkinson, Schwarze, Scott, Mercurii dulcis sunt commendatores, paribusque laudibus Burserius (4) blande alvum ducentia prosequitur, acriora vero repudiat, quod inflammationem augeant, et e plurimorum partibus stans, calomelani specificam quamdam in hepar et in bilis secretionem vim tribuit. Lienis vero et uteri et pancreatis renumque inflammationes, quum non valde discrepent medela ab iis, quas jam enumeravimus, purgantium in iis usus ex antecedentibus facile depromendus est. Icterum vero, aut febrem biliosam vel hepatitidem aliosque hepatis morbos comitantem, aut idiopathicum, eccoproticis refrigerantibus bene sanamus, quae optime etiam conveniunt in plethoricos, evacuationibus suppressis, aut hepate obstructionibus laborante, aut bile depravata. Purgentia vero, quae vehementius irritant, hic Burserius (5) suspecta habet. Ad spasmum in ictero spastico tollendum, semper primum viae biliferae expediendae et, quae iis inhaerent, materiae per choledochum transferendae sunt. Pariter in ictero neonatorum, quum plurimi obstructionem aut duodeno per meconium et sordes, aut in ductus choledocho per sanguinem putridum, excitam morbi causam nominent, facile est, purgantium usum fructum perpendere (6).

Singulari vero commemoratione illa puerperarum peritonitis digna videtur, quae febris puerperalis nominatur.

---

(1) Aphor. p. 85. 87. (2) Sp. Ther. I, 537. — (3) l. c. , 298. — (4) l. c. IV, 430. — (5) l. c. IV, 421. — (6) Meissner's Kinderfr. II, 39. —

Nam quum morbus saepissime sit indolis gastricae neque sordes faecesque induratae unquam absint, quae quidem morbum valde augere possint: purgantium utilitas evacuans, multorum praeterea experientia comprobata, luce clarius apparet. P. Frank (1) igitur praecipue oleosa hic valde laudat in forma inflammatoria, rheum vero cum emulsione in complicatione gastrico-nervosa. Vogel (2) quum maximum sit in mora periculum, statim has evacuationes et clysmata adhiberi jubet, et Tissot (3) et Burserius (in capite, quod est de febri gastrica) oleosa omnibus praeferunt, non metuentes, ne rancida fiant; quamquam Stoll (4) monet olei ranciditatem saburram augere omniaque acerrime irritare, et qui oleosa propinent, saepissime aegrotantem et oleum et operam perdere; nihilominus tamen nonnunquam (5) aliis laxantibus alvum sollicitat. Leake et Doulcet (6) methodi purgativae optimos eventus viderunt; Schönlein (7) in forma inflammatoria Mercurium dulcem valde laudat, in gastrica autem et putrida abdicit, consentientibus fere omnibus medicis britannicis; Richter (8) quoque Mercurium dulcem maximum hic remedium nominat, quod in hac inflammatione exsudativa optime lymphae coagulationem prohibeat ejusque ad organa gastrica derivationem efficiat; quamobrem in complicatione gastrica et pituitosa maxime indicatum esse dicit. Certe nemo negare poterit, purgantium usum, quam morbus saepissime ex statu gastrico, atrabilari, gastrico-venoso originem ducat et semper ad alvum crises moveat, quas nisi modicis cauteque adhibitis purgantibus aptius juvare non possimus, in hoc morbo nullis aliis medi-

---

(1) l. c. II, 193. — (2) l. c. II, 353. — (3) Nervenkrankh. B. III. S. 154. — (4) Rat. med. II, 78. — (5) c. l. II, 70. 78. 83. 85. 86. — (6) Abhandl. f. pr. Aerzte B. VIII. St. 2. — (7) l. l. II, 320. — (8) Gastr. Fieb. S. 84.

camentis virtute superari. (1) Quae cum Brownianismi temporibus nimis negligerentur, tam multa tristia et flebilia acciderunt.

IV. INFLAMMATIONES SPURIAE.

Quamquam Stoll (2) non sine fructu suis temporibus, constitutione nimirum gastrica praevalente, in rheumatismo acuto purgantia saepe adhibuit, tamen, quum facillime metastasin efficere possint, magis hic nocere quam prodesse, prorsusque emeticis posthabenda videntur. Richter (3) enim et Vogel (4) consentiunt, purgantia in febris principio imprimis omittenda esse, nisi causa singularis, ut sordes gastricae, diserte ea flagitent. In morbi autem declinatione, febri sedata, magno cum levamine aegroti et fructu porriguntur, Riverio (5) multoties teste, quorum utilitatem, si sanguinis acrimonia (6) morbi fuit causa, nemo certe negabit. In ischiade nervosa postica, quamquam Cotunni (7) clysmastibus alvum blande ducit, tamen purgantia, quod augeant dolores, abdicata vult. Contra in prosopalgia Fothergilli Richter (8) alvum purgantibus vehementissimos dolores sedavit; sed hi manifeste ex humoribus acribus originem duxerant. Catarrhum simplicem raro laxantibus frigidis curamus, in complicatione autem gastrica semper iis opus esse, docet Richter (9), et in catarrho bilioso nulla alia re melius tussim

(1) Richter's med. chirurg. Bem. Th. II. S. 285. — (2) Rat. med. I, 20. 22. 96. II, 25. 33. 117. 313. — (3) Spez. Ther. II, 33. — (4) l. c. II, 176. — (5) l. l. p. 228. — (6) Vogel l. c. p. 171. — (7) e. l. p. 217. — (8) l. c. p. 71. — (9) e. l. p. 110.

sedamus, quam expurgationibus idoneis. (1) In dysenteria autem jam Celsus (2), Hippocratis sententia nisus, purgationes, vel veratro albo provocatas, necessarias esse testatur. Neque aliter sentiunt Hillary (3), Mead (4), Monro (5), Clark (6) omnesque prae ceteris ii, qui huic morbo peculiarem quandam materiam dysentericam subesse suspicantur eamque purgantibus expellere conantur; inter quos imprimis Platner (7), Zimmermann (8), Mursinna (9) nominandi videntur. Riverius (10) jam ab exordio evacuationibus curationem molitur et materiam peccantem, priusquam gravius laedat, cito educit; item van Swieten (11), si ab acri et semiputrida bile originem morbus duxerit. Stoll (12), Richter (13), Cullen (14), haud minore laude idem celebrant, et Pringle (15), et Hunter (16) emeticis praestantiora esse purgantia in tali dysenterica complicatione putant, et P. Frank (17) in dysenteria sthenica, non ut bilem educat, sed ut aegroti vires leniter debilitet, purgantia porrigit. Quum autem dysenteria tam multiplex sit, facile patet, pro causae varietate varietatem etiam medelae requiri methodumque legitimam ex cognita tantum causa deduci posse. Quod etiam semper in omnibus diarrhoeae speciebus respiciendum erit, quae tam variae sunt, quam sordium hunc morbum excitantium genera. Quomodo

---

(1) Vogel l. c. II, 301. — (2) lib. IV. sect. 16. — (3) Ueber d. Krankh. auf Barbados, aus d. Engl. v. Ackermann, S. 50. — (4) Momenta et praec. med. p. 71. — (5) Krankh. in d. britt. Feldlag. in Deutschl. 1763. S. 58. — (6) Beob. üb. d. Krankh. auf langen Reisen &c. S. 161. — (7) Ars. med. p. 317. — (8) Ueber d. Ruhr S. 80. — (9) Ueber d. Ruhr S. 106. — (10) l. c. p. 162. — (11) Comment. T. III. p. 194. — (12) l. c. I, 120. 125. II, 49. 148. — (13) l. c. II, 140. — (14) Anfangsgründe B. II. S. 207. — (15) Krankh. d. Armen S. 307. — (16) Krankheiten auf Jamaika S. 179. — (17) l. c. VI, 512.

autem sordes gastricae, biliosae, pituitosae ceteraeque evacuentur, in iisdem febrium speciebus jam demonstravimus, et quae de dysenteria valent, apte de purgantium in diarrhoeis usu dici possunt. (1) Periculosissima vero esse purgantia in cholera, omnes fere medici uno ore testantur, nisi omnis prudentiae expertes; et a quaque evacuatione abstinendum esse, prae ceteris adnotant P. Frank (2) et Vogel (3).

C. EXANTHEMATA ACUTA.

Quanto cum emolumento hoc morborum genus purgantium usum suscipiat, non semper satis intellectum est. In eo enim plurimi erraverunt, ut necesse esse putarent, ut exanthemata febrilia semper per sudorem crisin moverent; quamobrem methodo diaphoretica prae ceteris ea postulare, antigastricam vero semper abhorrere arbitrabantur. Sed hae febres, quum saepissime notam quandam gastricam prae se ferentes ad intestina crisin moveant, neque raro conveniat, formam gastricam vel invita natura evocare: facile apparebit, quantum ad haec facienda et adjuvanda purgantia valeant, et quam damnosum sit, diaphoreticis crisin intestinalem interpellere. Invita autem natura formam gastricam evocare juvat, ubi majorem humorum ad cutem affluentiam temperare eorumque quidem partem, ne justo vehementius exanthema erumpat, ad organa gastrica deducere, consilium est. Quam eruptionis febrisque nimiam violentiam purgantibus frangimus remediis, quorum vices neque cunctorum antiphlogisticorum usus, neque ullum aliud medicamentum explere potest. Aptissimum vero pur-

---

(1) Conf. Vogel l. c. VI, 43 sq. P. Frank l. c. VI, 479. — (2) l. c. VII, 439. — (3) l. c. VI, 113.

gantium tempus est primum stadium, quo tempore earum vis derivativa maxime pollet. Temperans eorum in sanguinem vis minoris est momenti.

Scarlatina. Hujus morbi recentioribus temporibus malignitatem maximam partem ex imprudenti diaphoreticorum et neglecto purgantium usu deduci licet. Semper enim, quum administrata essent, eo profuerunt, ut aut per illum, quem inter cutem et intestina interesse scimus, antagonismum vehementiorem humorum affluxum a cute ad intestina derivarent, aut materias jam manifeste ad intestina tendentes evacuarent. Richter (1) statim ab initio purgantibus, simul sanguinis orgasmum temperantibus, eruptionis vim coërcere studet et intestinalem crisin manifestam quidem, sed tardam, sufficientibus Mercurii dulcis dosibus adjuvat. Stieglitz (2) contra monet, enixe cavendum esse, ne purgatoriis crises, quas natura ad cutem moveat, damnose perturbemus; quamobrem tum tantummodo purgantia propinat, ubi non manifesti ad cutem motus critici apparuerunt. Quo in casu, emetico praemisso, per totum morbi decursum sua methodo prospere purgantia adhibuit et sic optime se cerebrum salvum tenuisse confitetur. Idem testantur Wichmann, Reil, Burserius, Vogel, Lorry, aliique, qui vel in maligna scarlatina vehementissima laxantia commendaverunt. Marcus (1) quidem, quod alvi adstrictionem ex inflammatione totius tractus intestinalis declarare perperam studet, purgantia supervacua noxiaque esse putat. Sed in eo omnes consentiunt, summae auctoritatis viri, ut Busch, Hufeland, Reil, Kreisig, Stieglitz, Mercurium dulcem in omnibus scarlatinae stadiis et complicationibus omnium purgantium esse optimum.

---

(1) Fieberlehre S. 189. — (2) Versuche, Prüfungen und Verbesserungen ꝛc. 1807. S. 241. — (8) Entwurf einer spez. Therap. B. III. S. 279.

Rubeolarum curationem quum Formey, Hufeland, Heim, Schaeffer aliisque testibus prorsus perinde ac scarlatinae instituendam esse sciamus, hoc loco, quae illo de morbo jam commemorata sunt, de purgantium usu sufficere videantur.

Morbilli. Stieglitz (1) quidem diarrhoeas in morbillis prodesse, purgantia nocere, in scarlatina contrarie se habere docet; sed ad febrim coërcendam commode Reil (2) ea commendat. Optime enim iis utimur in desquamationis stadio, si acrimoniae morbillosae nondum naturae crisibus dejectae sunt. Richter (3) igitur has residuas, aut sordes in complicatione gastrica deorsum turgentes, purgationibus educendas esse docet. Sed rudibus experientiis magis, quam ratione niti videntur illi medici, qui quaque sub conditione in desquamationis stadio purgantia exhibent, quae tamen quibusdam in casibus maximo cum emolumento propinantur. Vogel (4) enim et Stoll (5) vehementissima morbi symptomata et maxime varia purgantium usu, quo alvum colluvie putrida liberarent, statim evanescere viderunt.

Urticariam et Esseram, quum primae viae raro sordibus vacarent et morbi plerumque notam gastricam prae se ferrent, P. Frank, Richter, Vogel, Burserius, Cleghorn, Chalmers, Heverton, Cullen, alii, saepe purgantibus cito sanaverunt. Optime igitur urticaria, aut vulnera aut febrim intermittentem concomitans, purgationibus nonnullis institutis saepissime tollitur. (6)

Variolae. Non minus, quam in scarlatina, diaphoreticorum abusus in variolis damnosus fuit, et vel purgantium vis derivativa, qua eruptionis dilatationem facile coërcere possumus,

---

(1) l. c. p. 173. — (2) l. c. III. 234. — (3) Spez. Ther. 4, 427. — (4) l. c. III, 231. — (5) l. c. II, 246. 247. 254. — (6) Richter, l. c. II, 530. —

saepe negligitur. Reil (1) laxantia in initio morbi commendat; Vogel (2) eo magis iis opus esse docet, quo magis eruptio divulgata sit; quamquam Riverius (3) purgationem in hac affectione suspectam habet. Certe maxima cum utilitate purgatio instituitur ante variolarum eruptionem, priusquam febris candescat. At variolis apparere incipientibus purgatio retrocessione exanthematis periculosissima fieri potest, quamobrem semper praemeditatione instituenda est. In malignis epidemiis satius erit, plane purgationibus abstinere. Quis autem, si ex signis bilis aut pituitae in primis viis exuberantis concludi potest, intestina scatere corruptis sordibus crudis, dubitabit, quin alvi ductione expellendae sint? Burserius (4) igitur eruptionem, si primarum viarum saburra ei obnitatur, cacochyliae evacuatione promovendam esse docet. Purgantia praesertim in variolis confluentibus, ubi pars exuberantis fomitis variolosi commodissime alvi ductione educitur, causam cunctantium aut subsidentium variolarum everrunt. Enimvero Simson (5) lenem purgationem a prima pustularum eruptione usque ad suppurationis tempus in variolis confluentibus utilem semper deprehendit expertusque est. Neque in stadio suppurationis, si alvi siccitas permagna est, inutile erit, leni antiphlogistico eccoprotico eam laxare, aut enematibus saltem aperire. Febrem secundariam, quum notum sit, quantus inter cutim et intestina sit consensus et quam facile secundum illud Hippocratis: „cutis laxitas, alvi adstrictio, et e converso" harum partium excretiones mutuo sese excipiant et suppleant, Tissot, Sydenham, Freind, Mead, alii, non sine causa purgantibus non solum depellere, verum etiam cavere student; immo vero Huxham (6)

(1) l. c. V, 312. — (2) l. c. III, 92. — (3) l. c p. 345. — (4) l. c. II, 231. — (5) Essays de Med. d'Edinb. T. VI. p. 144. (6) De aëre et de morb. epid. T. I p. 37. —

interdum nullam aliam medicinam profuisse testatur, vel in variolis confluentibus et discretis, sed his copiosis Burserius (1) vero eorum laudes limitat justis finibus, ultra quos recte consistere nequimus. Nunquam enim hic promiscue et universim purgatio arripienda est, quasi vero nullis legibus circumscripta sit. Necessaria tamen habenda est in febri secundaria, si, nulla variolarum suppuratione facta, aut pustulis praemature arescentibus, ex materia intus resistente febris valde ardens cum tetris symptomatibus oritur. Tum colluvies variolosa lenibus purgantibus ad intervalla repetitis detrahenda est. Idem convenit, si variolae jam pure turgentes et rite suppurantes cito aut repente subsederunt et pus intro refluxit. Sin vero nullum sedimentum urinae copia habet et ptyalismus cessat et detumescente facie extremorum tumor non succedit, et alvus sponte non solvitur, et vel coma, delirium, angina, peripneumonia superveniunt, a purgatione, quum nihil aliud virium pulsusque depressionem melius tutiusque relevet, nullus metus nos deterrere debet. Compertum etiam est experientia (2), magno cum levamine et emolumento, ubi humor acerrimus, quo variolae arescentes scaterent, gangraenam cutis induceret, alvum semper solutam esse. In quarto exsiccationis stadio cum multi alii medici, tum Tissot (3) alvum plerumque leniter ducit, ut, si quid intus remanserit materiae variolosae, aut non omne pus e pustulis emanaverit, id purgatione detrahatur et expellatur; imo ne perfectam quidem exsiccationem exspectandam, sed mature purgandum esse censet. Tempestiva enim purgatione optime ea praecavere possint mala, quae saepe a variolis relinquantur.

---

(1) l. c. II, 219. — (2) Freind de purgant. in secund. variol confl. etc. hist. III. — (3) Epist. p. 46. —

et illo tempore unica alvi ductio plus proficiat, quam tres aut quatuor serius institutae. Sed nemo tam credulus erit, qui omne, quod impendeat, malum purgatione averti posse putet. Itaque Burserius (1) sordes tantummodo in ventriculo et intestinis per totum morbi cursum coacervatas et collectas, aut eo paullatim delatas, cum utilitate purgationibus detrahi posse monet, quum retentae ibi diutius, aut in sanguinem iterum refluentes, nova mala inferant. Semper igitur eo respiciendum est, ne tabum variolosum intro revocatum in interiore aliqua sede consistat lethalemque metastasin faciat. At in confluentibus malignisque variolis, si febris cum tetris symptomatibus plerumque sub earum exsiccatione protrahitur, aut metastasis aliqua imminet, aut fauces pituita oppletae suffocationem comminantur simulque alvus adstricta aut pigra est: non solum blandioribus sed validius etiam agentibus purgantibus alvus iterum iterumque ducenda est. Quam apte igitur aut in variolarum inoculatione, ad corpus praeparandum, aut ubi primae viae sordibus scatere videantur, purgantibus utamur, jam satis prae ceteris a Burserio (2) et Vogel (3) probatum est; et certe Mercuril dulcis vi derivativae, qua materiae variolosae pars per intestina ejiciebatur, tribuendum fuit, quod illis temporibus interdum eruptionem tantopere coërcere contigit, ut circa insitionis locum tantummodo variolae efflorescerent. Caveri autem a catharticis oportet, si qua levioris quidem intestinorum inflammationis indicia se praebeant. Patet enim, omnia, quae irritationem inferant, esse vitanda, lenissimisque tantum medicamentis, quae temperent et demulceant et diluant molliantqne, utendum esse. Pariter a purgatione abstinendum est, si ptyalismus rite fit et facies

---

(1) l. c. II, 260. — (2) l. c. II. 275. — (3) l. l. III, 175.

detumescere incipit, aut alvus sponte fluit, aut ita liquescit, ut hac via corpus plane exhauriri possit; quod in putrida potissimum humorum omnium dissolutione tam saepe incidere consuevit.

Erysipelas. Quum morbus plerumque indolis sit rheumatico-gastricae, saburras intestinales principio alvum purgantibus lenioribus duci poscit, antequam erysipelas foras proruperit. Nam propulso jam ad cutim erysipelate, cautissime alvum esse laxandem, monet Burserius (1). Sin vero nimia quantitate humoris depravati morbus justo plus protrahi videtur, aut caput tumescens graviter afficitur, neque saburrae putridae et biliosae signa desunt: tum cito, ut a capite detrahamus, purgantibus opem feramus. Sub finem vero morbi jam audentius licebit purgantibus uti, et reliquum materiae morbificae leniter per alvum expurgare. Praeterea autem, quoniam purgatione temere instituta facile naturae conamina pervertere, aut erysipelas ipsum intro revocare possumus, semper magna in eorum usu cautione hic opus erit.

---

(1) l. c. II, 27. —

VITA.

Ego, Guilelmus Carolus Robertus Genzmer, fidei evangelicae addictus, Mariae insulae Borussorum die IV mensis Septembris anni MDCCCXIV patre Joanne Guilelmo, medico practico, et matre Rosalia, e gente Runge, Dei beneficio adhuc vivis, natus sum. Postquam, primis literarum elementis imbutus, in urbis gymnasio, quod rectore Ungefug tum vigebat, artibus liberalibus per octo annos incubui, gymnasium Brunisbergense adii, unde a directore Gerlach, tum fasces tenente, quum optimis literis informatus essem, cum testimonio maturitatis anno MDCCCXXXIV in academiam dimissus sum. Regimontium igitur me contuli et ab Ill. Hagen, t. t. prorectore magnifico, universitatis literariae Albertinae civibus, et a beato Unger, facultatis decano maxime spectabili, medicinae studiosis adscriptus sum. Scholis tum interfui philosophicis et aestheticis Ill. Rosenkranz; zoologiam Ill. de Baer, botanicen et generalem et specialem Ill. Meyer, chemiam et pharmaciam Ill. Dulk, physiologiam et anatomiam generalem Ill. Burdach sen., pathologiam generalem Ill. Sachs me docuerunt. Praeterea scholis Exp. Bur-

dach jun. de anatomiam speciali et practica interfui. Deinde a. MDCCCXXXV Berolinum profectus, quum a rectore magnifico Busch inter cives academicos receptus et apud decanum facultatis maxime spectabilem Müller nomen professus essem, hasce scholas frequentavi: Ill. Mitscherlich de chemia, Cel. Magnus de physice experimentali, Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia, splanchnologia et anatomia organorum sensuum, Ill. Müller de anatomia universa speciali, de physiologia, de anatomia comparativa et organorum sensuum, et una cum Ill. Schlemm de arte cadavera rite dissecandi, Ill. Casper de pathologia et therapia speciali, Ill. Horn de morbis syphiliticis et psychicis, Exp. Mitscherlich jun. de materia medica, Cel. Kluge de arte fascias rite applicandi, de ossium fracturis et luxationibus, de chirurgia generali et de arte obstetricia, Cel. Romberg de diagnostica practica et neuropathologia, Ill. Wagner de medicina forensi. Nec non clinicis exercitationibus et medicis et chirurgicis interfui: Cel. Truestedt policlinicis, Ill. Rust et Dieffenbach chirurgicis, Cel. Kluge obstetriciis, Ill. Jüngken ophthalmiatricis, Cel. Barez, beati Bartels, Ill. Wagner et Cel. Wolff medicis. Quibus omnibus praeceptoribus summe venerandis optimeque de me meritis maximas, quas habeo semperque habebo, gratias refero. Jam vero tentaminibus et philosophico et medico superatis nec non examine rigoroso rite absoluto, spero, fore ut dissertatione et thesibus publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Sanguinis circulatio cordis solummodo motu efficitur.
2. In morbis pectoris signa ea acustica subtiliora majorem fidem habent, quae negant, quam quae affirmant.
3. Icterus, hydrops et asthma non morbi sed symptomata morbi sunt.
4. Hysteria etiam in maribus occurrit.
5. Per diaetam plurimi aegroti sanantur.
6. Delirium tremens methodum antiphlogisticam respuit.
7. In methodo exspectativa homoeopathia nil nocet.
8. Tonsura barbae sanitati non convenit.
9. Medicus semet ipsum omnium pessime curat.
10. Peritus medicus sicuti paucis tantum remediis, sic chirurgus paucis et minime compositis instrumentis utitur.
11. Iridectomia iridodialysi praeferenda.
12. Perforatio foetus vivi a legibus prohiberi nequit.